



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Septiceps Lvthervs, Vbique Sibi, Svis Scriptis contrarius,  
in visitationem Saxoniam**

**Cochlaeus, Johannes**

**Parisiis, 1564**

De Sacramento Baptismi, cap. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35803**

DE GRATIA SACRAMEN.

In lib. 5. cō-  
tra Zuingliū  
& Oecolā-  
padium.

promissionis diuinæ. VISIT. Loqueris hīc,  
sicut solent Suermeri sacramētarij, qui ex cœ-  
na faciunt symbolū, per quod Christiani ex-  
terius cognoscantur, sicut dignoscūtur mēdi-  
ci, & Iudæi per circulum croceum in veste.

COCLÆVS.

Quam hīc eligas (Illustr. Princeps) senten-  
tiam potissimū approbandam? Interroga quæ-  
so, vel ipsum Lutherum, vel quempiam sōda-  
lium eius, quid de gratia sacramentorū respon-  
derit doctissimo ac integerrimo viro Episcopo  
Roffensi: Qualiter autē responderit mihi, sciūt  
eruditi. Iube nunc vt respondeat, saltē sibi ipsi  
eadē de re super tot ac tā diuersis, & contra-  
riis sententiis suis. Quāto igitur honestius secu-  
riusque agnouisset humiliter lapsum & erro-  
rem suum, à Papa superiore suo tam benignè  
ac paternè admonitus, saltem in primo articu-  
lo, qui hac de re loquitur, quā si nunc tandē ex  
tot contrarietatibus suis errorem illū agnosce-  
re cogatur? Insectatur iam reliquos Suermeros,  
qui sacramenta pro signis externis habēt, qui-  
bus Christiani signētur, sicut rubea creta oves,  
cū ipse centies id ipsum & dixerit, & scripse-  
rit prius.

In lib. cōtra  
Epistolā Re-  
gis An-  
glie.

De Sacramento Baptismi.

CAP. XVII,

VISITATOR.

Baptismus obseruari debet, sicut hactenus. *In lib. V. de*  
 BARR. Quis te nobis Legislatorem cōsti- *In lib. de for*  
 tuit? Nescis nos Christianos esse? In his ergo *mula Missa*  
 libertas regnare debet, vt neq; legibus, neque  
 imperiis liceat conscientias captiuare nostras.  
 Scripturæ enim de Exorcismis & interroga-  
 tionibus, quibus baptizādo vsi sunt hactenus  
 presbyteri, nihil definiunt, sed sinunt liberta-  
 tem spiritus abundare suo sensu, pro cōmodi-  
 tate locorū, temporum & personarum. LVT. *In Cap. Ba*  
 Ego sanè iam pridè benedixi domino, q̄ saltē *bylo. cap. de*  
 hoc vnicum Sacramentū seruauit in Ecclesia *baptismo.*  
 sua illibatū & incontaminatum, à constitutio-  
 nibus hominū, liberūque fecit omnibus gē-  
 tibus, omniūmq; hominū ordinib⁹, nec passus  
 est & ipsum teterrimis quæstus & impiissimis  
 superstitionū portentis opprimi. BAR. Ita sa- *In lib. de*  
 ne cōuenit, Christianus enim populus simplex *abroganda*  
 est, in quo prorsus nulla secta, nulla differētia *Missæ.*  
 personarū, nullus laicus, nullus clericus, nul-  
 lus rarus, nullus vnctus esse debeat, sed sine vl-  
 lo discrimine omnes vel cōiugati, vel cēlibes,  
 arbitrio quiq; suo. MAR. Sumus igitur omnes *In lib. ad no*  
 verè spirituales, nec vlla est inter nos differē- *bilitatē Ger*  
 tia, nisi officij tātum: quia vnum Baptismum, *mania.*  
 vnum Euāgeliū, vnā Fidē habemus, & sumus  
 æquales. BARR. Sacerdos itaq; nouo præfer- *Ad Senatū*  
 tim Testamento, non fit, sed nascitur, non or- *Pragensem.*  
 dinatur, sed creatur: Nascitur autē non carnis,  
 sed spiritus natiuitate, nēpe ex aqua & spiritu  
 in lauacro regenerationis. Suatq; prorsus om-

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

nes Christiani sacerdotes, & omnes sacerdotes sunt Christiani. Anathemáq; sit, sacerdoté a-

*In lib. Vist.* liú afferere q̄ eum qui est Christianus. VISI. Paulus autem scribit j. Tim. v. Qui bene præ-

*In lib. de po- testate secu- lari.* sunt presbyteri, duplici honore digni habeã- tur, maximè qui laborát in verbo & doctrina. Id ergo quomodo fiet, si oēs sumus æquales, & æquè sacerdotes? BARR. Huic quæstioni respondet Paulus Ro. xij. Vnusquisque alterú pro superiore suo habeat. Et Petrus j. Pet. v. Omnes inuicé subiecti estote. Quod & Chri- stus innuit Luc. xiiij. Si ad nuptias inuitatus fueris, sede in nouissimo loco. Inter Christia- nos nō est superior nisi Christus ipse & solus. Quid enim superioritatis esse potest, vbi oēs sunt æquales & vnus iuris, potestatis, substã- tiæ, & honoris? LVT. Habemus quidē liberta- tem hãc per baptismũ, sed præualuit Satan, vt virtutem baptismi in adultis omnibus extin- gueret, vt iã ferè nemo sit, qui se baptizatú re- cordetur, nedũ gloriatur tot repertis aliis viis remittendorú peccatorú, & in cœlũ veniendi.

*In lib. Vist.* VISI. Debet sane baptismus excitare fidem, q̄ iis, quos peccatorú suorú pœnitet, peccata abluuntur & remittútur. Ea enim fides perfe- ctus est baptismus. LVT. Periculosum est igi- tur verbũ illud diui Hieronymi, siue male po- situm, siue male intellectú, quo pœnitentiã ap- pellat secundã, post naufragiũ tabulã, quasi ba- ptismus non sit pœnitentia. Hinc enim vbi in peccatú lapsi fuerint, de prima tabula seu na-

*In Cap. Ba- bylo. cap. de baptismo.*

*In Cap. Ba- bylo.*

*Vbi supra*

ue desperantes, velut amissa, secundę tantũ incipiunt niti & fidere tabulę, id est, pœnitentię. Hinc nata sunt, votorũ, religionum, operũ, satisfactionũ, peregrinationũ, Indulgentiarum, Sectarum, infinita illa onera. VISI. Baptismus non solũ signũ est pueris, sed & adultos alligit, & hortatur ad pœnitentiã: Pœnitentia enim & cõtritio ac dolor per aquę baptismum designatur. LVT. At potius obseruanda est in baptismo diuina promissio, quę dicit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit. Nã in hoc pendet vniuersa salus nostra: Sic autẽ est obseruãda, vt fidem exerceamus in ea, prorsus non dubitantes, nos esse saluos, postq̃ sumus baptizati. Nã nisi adsit, aut paretur hęc fides, nihil prodest baptismus, imò obest, nõ solũ tum cũ suscipitur, sed toto post tempore vitę. VISI. Ego autẽ nuper contra rebaptizatores, dixi Baptismum nõ esse fundandum super fide, neque baptizantis, neque baptizati: quia vterque incertus est de fide, aut saltem in periculo & tentatione existit. Ita enim euenit & fieri solet de fide, vt sæpe is, qui arbitratur se credere, nihil omnino credat. Et cõtra, qui arbitratur se nihil credere, sed desperare, is omnĩũ maxime credat. LVT. Ego verò longè aliter sentio: Quãuis enim humana imbecillitas, peccatorũ suorum sibi cõscia, difficillimè omnium credat, se esse saluã, aut saluãdam, tamen nisi id credat, saluari non poterit, quia nõ credit veritati diuinę promittenti salutẽ. VISI.

*In lib. Visti-**Vbi supra**In lib. cõtra rebaptizatores.**Vbi supra*

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

*Vbi supra.*

*Vbi supra.*

Quãuis non proſit baptiſmus ei, qui non credit, propter ipſius incredulitatem, non tamen propterea baptiſmus eius eſt reprobus, incertus, aut nihil. LVT. Vides itaque, quã diues ſit homo Chriſtianus ſiue baptizatus, qui etiã volens non poteſt perdere ſalutem ſuã, quantiscũq; peccatis, niſi nolit credere. Nulla enim peccata eũ poſſunt dãnare, niſi ſola incredulitas: Cætera omnia, ſi redeat, vel ſtet fides in promiſſionem diuinã, baptizato factã, in momento abſorbentur per eandẽ fidem, imò veritatem Dei, qui ſeipſum negare non poteſt. Si tu eũ confeſſus fueris, & promittenti fideliter adheſeris: Contritio autem, & peccatorũ confeſſio, deinde & ſatisfactio, & omnia illa hominum excogitata ſtudia, ſubitò te deſerẽt, & infœlicem reddent, ſi oblitus veritatis huius diuinæ, in ipſis tete diſtenderis.

COCLÆVS.

*Quid boni, obſecro, parere poſſint ſermones iſti, nõ ſolum cõtrarij, ſed & ſeditioſi, & impij? Non miror equidem Ruſticos, populũ ſimplicem, ex cuiusmodi titillationibus ad res nouas inſurrexiſſe. Magis autẽ miror, vos Principes, cum tot ſimul Conſiliariis veſtris nõ cõſideraſſe in tempore, cum plerique noſtrum ei reclamarent, vòſque admonerent, quorſum cuiusmodi dogmata tenderent. Si enim Ambroſius Catharinus, vir doctiſſimus & fidelisſi-*

DE SACRAMENTO BAPTISMI. 51  
mus admonitor nostri, ex primis Lutheri opu-  
sculis (quæ utique nunc aurea, & gemmea præ-  
ferreis, & stercoreis illis posterioribus videri  
queat) Vndecim dolos nequissimos ante VIII.  
annos deprehendit. In quorum quarto appel-  
lat eum manifestè hominem ad seditiones na-  
tum, & rerum nouarum cupidum. Quis cre-  
dat, vos tam stupidos esse, vt ex tot aperte se-  
ditiosis libris eius, quos postea, partim latine,  
partim Teuthonice edidit, non poteritis vide-  
dere, quid moliretur? Donec ipsa rerum expe-  
rientia, per tot dâna populorum vobis ostende-  
ret, sanguisque nequissime seductorum rusti-  
corum vos inclamaret, ne diutius ei talia per-  
mitteretis? Recte igitur scripsit patruelis tuus,  
Illustriss. Prin. Domin<sup>9</sup> meus Clementiss. Dux  
Saxonie Georgius, si Lutherus denuò Euāge-  
lium tale de subtus scâno in lucem protrahat,  
nullum seruari posse rusticum. Quid enim re-  
sonat Euāgelium eius, nisi solâ vbiq̃ue fidem,  
libertatem, seditiosam, hæresesque iâ olim dâ-  
natas? vt nulla sint opera bona meritorū, nulla  
distinctio personarum, nullus ordo dignitarum  
in Repub. Christiana, sed sumus omnes, sine le-  
ge, sine Rege, sine ordine, sicut oues & boues,  
pascuæ, & porci vagâtes in grege, absque vlla  
distinctione, hoc enī vult Lutheri baptismus.